



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ioannes C. 10. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

inde ad monachos abiit. Atqui nostrorum
 aro (ô tempora!) facinus est culeo dig-
 num, parentes tam piè fallere, & facere
 quod laudata toties olim antiquitas,
 quod ipse puer CHRISTVS fecit. Huc
 itaque eja! iterum oculos, hoc in spe-
 culo (THEOPHILO nostro) maculas
 vestras & filii & parentes corrigite.
 Correxere certè THEOPHILI paren-
 tes, & rectius sapere edocti, quò mun-
 dum fugienti alas adderent, ipsi cœno-
 bium filio struxerunt; factumque hoc
 calum probavit, cum suâ voce filium
 illuc evocavit. Inde vi extractus, mul-
 taque sub sacrarum imaginum hoste
 Leone passus, sed ad extremum dimis-
 sus, nil magis doluit, quam ereptam
 sibi, quam manu jam jam prehenderat,
 martyrii palmam: quanquam neque
 hanc illi negasse Superos existimo.
 Magnum enim longumque oppidò mar-
 tyrium est, mundo mori. *Ex Menais.*

S. IOANNES C. 10. Octobris.

IOANNIS inter literas etiamnum in
 Academia Oxoniensi agētis animum
 si inspexisses, templum musarum, sed
 multo magis virtutū dixisses, ita utra-
 que pulcherrimo connubio in pectore
 suo sociavit. Ne verò cum scientiis suis
 in carne & sanguine volutaretur, anno
 ætatis vigesimo D. Augustini institu-
 tum amplexatus est in Bridlingtoniensi

N n 3 cœno-

cenobio, in quo cum omnibus se post-
 poneret, omnibus denique prepositus
 est, factumque hoc tam lubentibus aliis,
 quam uno ipso invito. Tam modestè
 tamen imperium usurpavit, uti aperta
 unius è suis convitia non nisi silentio
 refelleret, monitusque ut laxam aucto-
 ritatem vindicaret, præstare diceret,
 iratis flammis demere quam addere
 oleum. Triclinium illi cum aliis idem,
 eadem mensa, in mensa tamen major
 abstinencia fuit. Amoris divini actu
 tam ardebat, ut, cum sacrificaret, vestes,
 quibus hieme alii se contra frigus ar-
 mahant, ille tunc poneret, & flammis
 pectoris loqueretur frequens multu-
 que vapor è capite palam assurgens.
 Ipse corpore præsens ad aram, animo
 interea cælum obambulabat, incendio
 ita paulatim crescente, ut oculi lacri-
 mis non jam fluere, sed toti liquecere
 viderentur. Denique ne dubites IOAN-
 NEM in cælum evolasse, noveris ante
 mortem hunc Virgini è Vestalibus uni
 formam aquilæ visum esse, quæ nubes
 transcendens illa è schedâ, quam rostris
 ferebat, verba loquebatur: *Amor meus*
IESVS. Evolare ad calos etiam tu
 cupis? ab hoc amore alas mutuare, non
 illo qui humi repit. *Ex Surio.*